



V I R O

S V M M E R E V E R E N D O

FRIDER. EBERHARDO BOISIO

THEOLOGO QVEDLINBURGENSI

ERVEDITISSIMO ET CELEBERRIMO

S. D

IOH. FRIDER. FISCHERVS

Et si dei prouidentia, principumque auctoritate, in eo te collocatum honoris dignitatisque gradu conspiciamus, Vir summe reuerende, vt diuinæ maxime doctrinæ opes atque copias exponas aliis atque explices; etsi te omnes sciunt instructissimum esse iis præfidiis omnibus, quæ necessaria videantur, vel ad intellegendos eos libros, e quibus, tanquam copiosissimis armariis, depromi omnem doctrinæ diuinæ ornatum apparatusque debere constat, vel ad dapes eius ita apparandas et apponendas, vt dulcedo earum atque suauitas ab omnibus adeo sentiatur, vt summa illas auiditate attingant et deuorent: tamen reliquas litteras bonas, in his Graecas maxime et Latinas, historiamque veterem, sine quarum comitatu honesto tu præclare intellegis perueniri nullo modo ad intellegentiam explanationemque sacrarum litterarum idoneam atque vtilem posse, a te adeo non contemni et negligi, vt earum scientia longissime superes multos eorum, quibus hæ partes datae sunt, vt præcepta earundem adolescentibus ingenuis in scholis publicis, et minoribus, et maioribus, tradant, et videmus laeti, et grati admiramur. Hac autem tanta tamque singulari bonarum litterarum omnium

scien-